

Resp. I. Regulariter tres solum productiones testium fieri, et admitti possunt; quarta vero non nisi ex justa causa, et cum solemnitate legali, admitti debet. Ita Summarium, Abbas, Barbosa, et doctores communiter in *c. In causis*. 15. h. t. ubi sic habetur decisum, illis verbis: « In causis ecclesiasticis, et civilibus ultra tertiam productionem, non debent testes produci, nisi adhibita quadam solemnitate, quæ in legibus invenitur expressa. » Concordat Auth. *de Testib. § Quia vero*. collat. 7. et *c. Ultra tertiam*. 53. eod. illico referendum. Unde.

446. *Solemnitas ista legalis declaratur.* — Resp. II. Solemnitas legalis, quæ debet observari in quarta testium productione, determinatur in cit. Auth. *de Testib. § Quia vero*. et d. *c. Ultra tertiam*. h. t. illis verbis: « Ultra tertiam productionem non debent testes produci in causa, nisi præstito ab eo, qui hoc postulat, juramento, quod neque per se, neque per alium testificata subtraxerit, vel fuerit percunctatus: nec per dolum aut artem aliquam quartam productionem exposcat; sed quia, quos desiderat de novo producere, prius habere nequivit. » Hæc ibi.

447. *Importat juramentum super tribus punctis judicialiter deponendum.* — Ex quibus verbis liquet, quod dicta solemnitas legale importet juramentum super tribus punctis judicialiter præstandum. I. Quod testificata, seu facta sive pro sua, sive pro adversa parte (ut explicat Glossa in cit. *c. Ultra tertiam*. §. Testificata) testium depositiones, « neque per se, neque per alium subtraxerit: » hoc est, suppresserit; vel occultaverit, forsitan advertens, quod sibi non faveant. II. Quod nec testificata « fuerit percunctatus; » id est, non didicerit, aut exploraverit: quia tunc oriretur periculum, et præsumptio subornationis testium, si isti post jam didicita testificata produci possent, *c. Fraternalitatis*. 17. juncta Glossa §. *Novis*. h. t. III. Quod dolose, « seu per dolum, aut artem aliquam, » puta, ad malitiose protrahendam litem « quartam productionem non petat; » sed quia hujusmodi testes antea producere non poterat: uti liquet ex allegato textu, et cit. Auth. *de Testib. § Quia vero*.

448. *Affertur ratio memoratæ decisionis.* — Ratio conclusionis, seu memoratæ decisionis est: partim, ut coerceatur effrenata testium multitudo; qualis sequeretur, si semper alii et alii testes possent produci, l. I. § fin. ff. h. t. et *c. Significaverunt*. 36. juncta Glossa.

§. *Effrenata*. h. t. Partim, quia ex petita jam multiplici productione testium oritur præsumptio, quod quis malitiose id faciat, nimirum vel animo prolongandi litem; vel quia jam percunctatus fuerat dicta testium antea a se productorum, et videndo, quod illi non bene probent intentionem suam, velit postea producere alios testes subornatos: prout in simili cavetur Clem. 2. h. t. Sed quia potest quandoque oppositum contingere, hinc statuitur illud moderamen, ut cessante tali fraude possit quidem admitti quarta testium productio, sed non nisi servata præmissa solemnitate legali, sive præstito juramento, ut supra.

449. *Cur juramentum, ad quartam productionem testium requisitum, non superfluat post præstitum juramentum calumnie?* — Dices: Frustra exigitur istud juramentum, postquam a principio jam fuit juratum de calumnia; ergo. Antecedens probatur. Quia juramentum de calumnia extendit se ad omnia, quæ postea occurrunt in causa, Auth. *Hoc sacramentum, c. de Jurament. calumn.* simulque non debet sæpius in eadem causa jurari, Auth. *De his qui ingred. appellat.* § fin. collat. 5. Resp. neg. antecedens, cum suæ probationis consequentia. Quia juramentum de calumnia est longe diversum ab isto; atque ideo unum juramentum non excludit alterum, neque istud reddit superfluum; nam juramentum de calumnia, est juramentum de credulitate, seu quod quis credat, se habere justam causam, etc. Juramentum autem, quod hic requiritur ad obtinendam quartam productionem testium, est juramentum de veritate; seu quod quis neque per se, neque per alium didicerit testificata, etc. Glossa cit. *c. Ultra tertiam*. §. *Juramento*. h. t. juncta Glossa marginali ibid. amplius hanc instantiam deducens, et resolvens.

450. *An per ly productionem, oporteat hic intelligere dilationem?* — Circa dictam tamen conclusionem, et allegatum in ea textum ex *c. Ultra tertiam*. h. t. est sciendum, quod Glossa ibid. §. *Productionem*. et Barbosa in *Collectan.* n. 1. et Joan. Andreas *c. In causis*. n. 6. h. t. pluresque alii, per ly, « productionem, » intelligant « dilationem: » ut sit sensus, quod ultra tertiam non concedatur quarta dilatio absque memorata solemnitate legali, quamvis intra terminum ejusdem dilationis plures possint fieri productiones testium. Verum de hac opinione Glossæ multum dubitat, ac in oppositum inclinat Abbas

§ XIII. DE PRODUCTIONE TESTIUM.

in cit. *c. Ultra tertium*. not. 1. et *c. In causis*. n. 1. h. t. eumque sequitur Pirhing h. t. n. 174; tum quia textus in juribus præallegatis utitur verbo *Productionis*, et non *Dilationis*; tum quia ex tot repetitis testium productionibus, quæ juxta dictam Glossæ opinionem intra singulas dilationes fieri possent, daretur locus effrenatæ testium multitudini: simulque oriretur præsumptio fraudis contra productionem, juxta dicta n. 448. Quod si tamen ista incommoda cessarent, poterit habere locum dicta Glossæ opinio: quam etiam servari in practica, esseque tenendam, monet Joan. Andreas ad fin. cit. n. 6.

451. *Si quarta productio testium fuerit concessa sine solemnitate legali nemine contradicente, valent attestations.* — Resp. III. Etsi quarta productio testium concedi non debeat absque memorata solemnitate legali, ut dictum: nihilominus si ea concessa fuerit absque illa solemnitate, simulque a parte altera non sit contradictum, neque appellatum, valent attestations inde secutæ. Ita Abbas cit. *c. In causis*. n. 4. h. t.; Mascardus quæst. 10. præm. n. 63. et 64. et concl. 1229. n. 18. citans alios. Ratio est, quia hoc ipso, quod non fuerit contradictum, censetur pars altera tacite consensisse in ejusmodi quartam productionem testium, eamque approbasse; sicut sibi præjudicat, conformiter dictis supra § 1. n. 17. 18. 21 et tit. VIII. *De Dilationibus*. § 3. n. 57 et 58.

452. *Secus si fuerit contradictum, et appellatum. Idem dicendum de receptione testium post conclusionem in causa.* — Accedit, quod in simili, imo et a fortiori, valeat productio ac receptio testium facta post conclusionem in causa, si non fuerit contradictum; prout censuerunt domini de Rota, decis. 5. apud Abbatem cit. n. 4. Quod si vero fuerit contradictum, et appellatum, non valent attestations, quæ recipiuntur post conclusionem in causa, vel in quarta testium productione absque solemnitate legali concessa, juxta reg. 64. juris in 6. « Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi, » cum concordantiis. Abbas loc. cit. n. 4.

453. *Testes simul producti, an iterum in eadem causa produci valeant? Potest eos reproducere, qui testificata nondum didicist.* — Quæritur VI. An testes semel producti, iterum in eadem causa produci valeant? Resp. I. Qui testificata nondum didicist, neque testibus producendis renuntiavit, potest in eodem etiam judicio, et super iisdem articulis, ite-

rum eosdem vel alios testes producere. Ita habetur decisum in *c. Constitutis*. 46. h. t. ubi Summarium, Glossa, Abbas, Barbosa, alique communiter. Accedit ratio, quia is, qui testificata nondum didicist, adhuc ignorat quid testes deposuerunt in sua priori productione; sicque cessat periculum subornationis, ut aliquid addant, vel corrigant de priore testificatione sua. Deinde facultas probationum non est indebite angustianda, *c. Dilecto*. 40. h. t. et l. I. § *Adhiberi*. ff. eod. ergo non est impedienda iterata productio testium illorum, quos antea, quis producere potuit, aut etiam produxit, nisi obstet facta renuntiatio testium, vel aliud legitimum impedimentum. Occasione cujus:

454. *Didicist testificata, quando dicantur?* — Est notandum, quod « Didicist testificata » tunc dicantur, quando quis acta depositionis testium plene cognovit, seu ex actis intellexit, quid testes in sua testificatione deposuerint: secus, quando quis vel omnino non, vel saltem non plene, aut non ex actis illis, sed aliunde extrinsecus, testium depositiones intellexisset. Baldus *c. Constitutis*. il. 2. n. 3. h. t. asserens, hoc esse mente tenendum; et alii proxime citandi. Quare, si quis attestations perfunctorie, et quasi aliud agens non diligenter perlegerit, vel si ipsi legenti notarius attestations e manibus eripuerit, aut alio quovis modo imperfecte duntaxat attestations notitiam acquisierit, nondum censetur testificata didicisse sicut potest adhuc testes producere. Bartolus in Auth. *At qui semel*. vers. *Venio ad quartum*. *c. de Probat.*; Baldus loc. cit.; Mascardus *de Probat.* concl. 1243. n. 30. et alii, quos citat.

455. *Non censetur didicisse testificata cui testes revelarunt, quid dixerint, aut dictari sint.* — Hinc etiam non censetur didicisse testificata pars illa, cui testes probantur revelasse examen; seu, quid in sua testificatione deposuerunt: quia sæpe mentiuntur, aut saltem veritatem occultant ejusmodi testes, ut partibus blandiantur et placeant. Baldus cit. n. 3; Gailus lib. I. *Pract. Observat.* 105. n. 3. vers. « Idem est, si ab ipsis, » etc. Idemque dicendum, si testis antequam deponeret, prædixit parti, quid in examine dicturus sit: quia sæpe aliter postea dicunt. Felinus *c. Fraternalitatis*. n. 11. h. t. Farinacius *de Testib.* qu. 75. n. 35. et 38. allegans plures alios, atque inde concludens, quod quis propterea non excludatur a productione novorum testium.

456. *Secus, quando iudex prælegit partibus testium depositiones, vel quis eas subtrahit, etc.* — Econtra vero, quando iudex partibus præsentibus, tacentibus et audientibus prælegit testium depositiones, tunc indubie censentur a partibus testificata didicita, seu plene percepta. Et idem dicendum, quando quis testificata subtrahit, vel penes notarium, aut aliam personam existentia perfecte legit, arg. c. *Ultra tertiam*. 53. h. t. Vel quando alias hæc penes ipsum aperta, seu desigillata reperiantur: præsumitur enim testificata perlegisse, sicque didicisse; nisi forsitan oppositum probari posset, v. g. ex eo quod attestations penes ipsum reperiantur adhuc clausæ, et non disigillatæ. Farinacius cit. quæst. 75. n. 43. et alii, quos copiose citat.

457. *Post publicationem attestationum, et didicita testificata nequit pars super eisdem articulis reproducere priores testes, nec alios producere; et cur?* — Resp. II. Post publicationem attestationum, et didicita testificata, non potest pars super eisdem articulis, vel directe contrariis, reproducere priores testes, neque alios novos producere. Ita Glossa c. *Fraternitatis*. §. *Novis*. et Abbas ibid. n. 4. h. t. Farinacius cit. quæst. 75. n. 68. et communis doctorum. Atque istud habetur expressum in Auth. *de Testib.* §. *Quia vero*. collat. 7. ubi dicitur: « Illud tamen indubium est, quia et si semel producens testes, aut his, aut testificationes tractaverit (id est, descriperit, ut explicat Glossa) aut adversario in hoc faciente ipse disputationem acceperit, et ex hoc didicerit testificata, non habebit omnino licentiam ullam ulterius uti testium productione. » Concordant textus in c. *Constitutis*. 46. h. t. ibi: « Cum nondum testificata didicerint: » sumpto argumento a sensu contrario. Et c. *Ex tenore*. 35. juncta Glossa fin. et c. *Veniens*. 38. §. *Pars autem*. 46. h. t. cum similibus. Accedit ratio: quia, postquam pars didicit testificata, subest periculum subornationis testium, seu ne pars, quæ testes produxit, eos subornet, ac instruat, ut aliquid addant, vel demant factæ suæ depositioni; prout notatur in Clem. 2. *de Testib.*

458. *Etiamsi didicisset testificata statim post primam, vel secundam productionem testium.* — Atque hæc conclusio non solum procedit ad impediendum quartam productionem testium, de qua fit mentio in c. *Ultra tertiam*. 55. h. t. sed etiam locum habet, quando quis post primam jam, vel secundam testium productionem testificata didicit,

probat ex cit. Aut. *de Testib.* ibi: « Et si semel producens testes, aut his. » etc. Nam etiam tunc subest periculum subornationis testium, dum qui testificata jam didicit, per jura hæc allegata; sicque non possunt alii testes produci, aut reproduci.

459. *Et hoc regulariter loquendo, ac demptis certis casibus. Remissive.* — Intellige regulariter loquendo, ac demptis certis casibus, in quibus etiam post publicationem attestationum, aut didicita attestata, imo et post conclusionem in causa, posse novas probationes recipi, testesque produci aut reproduci, jam dictum est supra tit. præced. §. 6. n. 154. et seqq. et n. 163. et seqq. Sed de his ibi videatur, vel, si placuerit, legatur Prosper Farinacius *de Testib.* quæst. 75. n. 98. usque ad n. 255. ubi sexaginta septem tales limitationes adducit.

460. *In causa appellationis, an post didicita testificata possint priores, vel novi testes produci.* — Procedit insuper data conclusio in causa appellationis: nam etiam tunc post publicatas antea factas testium depositiones, et didicita testificata, non possunt amplius super eisdem, vel directe contrariis articulis, priores vel novi testes produci. Glossa in cit. c. *Fraternitatis*. §. *Novis*. et Abbas ibid. n. 3. h. t. rejiciens contrariam quorundam legistarum sententiam. Siquidem cit. Auth. *de Testib.* §. *Quia vero*, loquitur indistincte: et ratio prohibitionis, scilicet timor subornationis, quæ est in causa principali, pariter militat in causa appellationis. Accedit nova decisio apostolica, seu textus apertus in Clem. 2. h. t. ubi et hujus ratio additur, illis verbis: « Cum non minus in appellationibus, quam in principali causa, subornatio sit timenda. » Intellige tamen hoc ipsum regulariter, demptis nimirum casibus, de quibus n. præced. remissive dictum fuit.

461. *Timor subornationis testium magis urget post publicationem attestationum quam antea.* — Dices. Timor subornationis testium etiam urget ante publicationem attestationum; cum pariter antea super causa principali possint testes subornari, arg. c. *Licet causam*. 9. §. *Post hoc de Probat.* et c. *Sicut nobis*. 9. h. t. ergo. Resp. neg. consequent. Quia, ut notat Joan. Andreas in d. c. *Fraternitatis*. n. 24. et Abbas ibid. n. 3. h. t. ante publicationem attestationum non subest tantus timor subornationis testium, quantus postea. Siquidem pars verisimiliter antea sperat, se posse intentionem suam probare per testes, vel ad-

versarium suum in probando succubitorum; sicque minus est sollicita de subornatione testium: secus dicendum post jam didicita attestata, ubi videt se succubitorum, nisi aliter testes deposuerint; unde spe victoriæ, seu ne succumbat, facilius induceretur ad testium subornationem, si denuo super iisdem articulis, vel saltem directe contrariis, testes producere, vel reproducere posset.

462. *Solvitur instantia ex c. Cum causa h. t.* — Urgebis. In c. *Cum causa*. 42. h. t. recipiuntur testes, etiam jam antea producti, ad probandam eandem causam; ergo. Resp. neg. consequent. Quia, licet ibidem fuerint testes recepti super eadem causa, videlicet læsionis, ultra dimidium justii in contractione venditionis; non tamen idem testes fuerunt reproducti super eodem articulo, sed super articulo diverso: nam testes illi in secunda productione solum debuerunt deponere de valore, seu quantitate pretii, quo res vendita constabat tempore venditionis; prout liquet ex textu, et amplius probat Glossa ibid. §. *Ad alium*. Porro, quod super diversis articulis possint testes tum eisdem, tum diversi sæpius produci, etiam post publicationem attestationum super uno articulo factam; patet ex c. *Fraternitatis*. 17. juncta Glossa §. *Novis*. h. t. estque jam dictum tit. præced. §. 6. n. 150.

§ XIV.

DE JURAMENTO TESTIUM.

463. *Testis antequam deponat, debet jurare; alioquin non probat.* — Quæritur I. An, et de quibus testes ante suam depositionem jurare debeant? Resp. I. Testis, antequam deponat suum testimonium, debet jurare: alioquin dictum ejus non probat. Ita communis; et habetur expressum in c. *Nuper nobis*. 51. h. t. illis verbis: « Nullius testimonio, quantumcumque religiosus existat, nisi juratus deposuerit, in alterius præjudicium debet credi. » Ubi proin Joan. Andreas, Abbas in *Summaria*, Barbosa, et alii passim, hanc regulam ponunt: « Non creditur testi, etiam religioso, qui sine juramento deponit. » Concordat textus in l. *Jurisjurandi*. c. h. t. quæ est canonizata can. *Si testes*. §. *Jurisjurandi*. 4. q. 3. ubi dicitur: « Jurisjurandi religione testes, priusquam perhibeant testimonium, coarcentur: » juncto c. *Fraternitatis*. 16. et c. *Tuis questionibus*. 39. h. t. et l. *Testium*. C.

eod. cum similibus. Unde ob textus juris claros, quod præsens conclusio contradictoriam non habeat testatur Farinacius *de Testibus*, quæst. 74. n. 2. quamvis ipsa procedat solum « regulariter, » demptis videlicet certis casibus, infra n. 471 et seqq. referendis; et salva illa quæstione, an sufficiat testem jurare post depositionem suam, de qua n. 492. et 493.

464. *Juramentum testium est de veritate dicenda.* — Resp. II. Juramentum testium est de veritate dicenda; et quidem de tota, quam noverunt de re illa super qua deposituri jurant. Ita Glossa fin. in c. *Fraternitatis*, h. t. quam approbat Joan. Andreas ibid. n. 15. et Abbas n. 13. Speculator tit. *de Teste*. §. *Sequitur*. n. 1. Farinacius cit. quæst. 74. n. 5. et seqq. et alii. Idque patet ex can. *Hortamur*. 4. q. 9. ubi testes jubentur veritatem aperire, « tactis sacrosanctis Evangeliiis, præbito etiam legaliter sacramento, quæ in veritate rerum noverunt, ut patefactis omnibus, quæ secundum leges, et justitiam censenda sunt, » judex cognoscere, et competentem legibus, et veritati terminum dare valeat. Concordat Auth. *de Testibus*. §. *Sancimus autem*. collat. 7. cum similibus.

465. *Quinque capitula, secundum Glossam, sunt juranda per testes: nempe, quod dicent totam veritatem.* — Atque idcirco Glossa fin. cit. c. *Fraternitatis*. h. t. ponit quinque capitula juranda per testes; quibus Jo. Andreas et Abbas, ubi supra, addunt sextum. *Primo*. enim jurabunt, quod dicent totam veritatem judici, vel cui is commiserit, quam noverunt de re illa, super qua jurant, ut proxime dictum. Et hinc inquit Speculator cit. §. *Sequitur*. et Pirhing n. 116. h. t. allegans insuper Imolam in c. *Testibus*. n. 2. eod. notandum esse, quod nec iudex, nec partes pati debent ut testes de varietate jurent super certis duntaxat articulis (sic enim non valeret eorum testimonium super aliis, quæ nonnunquam contingunt; eo quod de his non jurati deponerent) sed debeant jurare super articulis datis, totaque causa; et sic valebit eorum testimonium super omnibus ad causam facientibus; ut cit. can. *Hortamur*. 4. 9. et c. *de Testibus*. 29. h. t. et c. *Cum dilecti*. 18. §. 1. *de Accusatione*. Hoc ipsum confirmat praxis recepta tribunalium, juxta quam testes jurant, quod dicent veritatem super illis, de quibus fuerint interrogati: tale enim juramentum respicit totam causam, quando de ea, sicut possunt, interrogabuntur.